

dingerus dixit: Domine rex, comes Rûdolphus de Habsburg vir est corpore macilentus, statura longus, aquilum nasum habens et longum, cibo moderatus, annis antiquus non tamen sexagenarius, multos, id est novem, habens pueros, in summa paupertate ab adolescencia constitutus, fidelis omnibus suis. In armis, bellis, guerris et cum malis a puericia repletus ac laboribus infinitis. Sapiencia plus quam viribus vicit et fortuna super omnia confortatus. Nil mali sabbato ob reverenciam virginis beate Marie facere voluit vel suos facere creditur permississe. Tunc Bohemie rex dixit: Bona et mala de hoc comite protulisti, sed fortuna sua timenda est omnibus suis pre ceteris inimicis. Ex tunc rex Bohemie cepit quatuor municiones, que circa muros erant civitatis Wiennensis, munire propugnaculis et castrum novum fortissimum edificare in medio civitatis. Coegit eciam ex tunc burgenses, milites, nobiles et barones pueros sibi dare obsides et castra fortissima cum armis suis in suam potestatem. Misit insuper Bohemos milites armatos in civitates Austrie et victualia misit ipsis habundanter, ut, si contingeret Rûdolphum regem Romanorum civitates aliquas possidere, quod cives non se possent excusare, qui civitates suas sic^{9a)} vellent ab inpugnantibus conservare. Pre ceteris autem civitatem, que Novum Castrum dicitur, victualibus multis munivit, eo quod Viennam et alias civitates ex ipsa pascere voluisset. Precepit, ne aliquis Rûdolphum dominum per regem in suo dominio nominaret. Precepit et fratribus predicatoribus, ne celebrarent in sua provinciale capitulum [potestate]¹⁾. Factum autem est anno domini 1276
 MCCLXXVI. Tunc Rûdolphus rex sepe nominatus cum duobus milibus 247,
 equitum falleratorum⁸⁾ Bavariam veniens tali condicione se confederavit 18—25
 duci | Bavariae¹⁶³⁾, ut filius¹⁶⁴⁾ ducis filiam¹⁶⁵⁾ regis duceret in uxorem et fol. 184v
 filia ducis filio regis¹⁶⁶⁾ matrimonio jungeretur. Quo facto^{t)} tradita fuit regi terra magna et adiuncti sunt ei milites mille cum equis falleratis. Post hec cepit eius exercitus militibus augmentari. Tunc rex Rûdolphus cum exercito memorato Wiennensem civitatem adigit pariter et obsedit¹⁶⁷⁾. Tam potenter autem ipsam noscitur obsedis, ut ex una parte

^{9a)} Hs. si⁸⁾ Hs. valleratorum¹⁾ fehlt in der Hs., ergänzt nach dem Text von S und C^{t)} Hs. facta¹⁶³⁾ Heinrich I. von Niederbayern 1235—1290, Herzog seit 1253.¹⁶⁴⁾ Otto III. von Niederbayern, gest. 1312.¹⁶⁵⁾ Katharina von Habsburg, gest. 1282. Die Heirat fand 1279 statt.¹⁶⁶⁾ Eine derartige Verbindung kam — wenn sie überhaupt erwogen wurde — nie zustande.¹⁶⁷⁾ Die Belagerung begann am 18. Oktober, vgl. RI, Nr. 611 a.